

P V I S



1 6 0 3



CHORVS  
Musarum,

IN HONOREM

NOBILIS ET ORNATIS-

simi iuuenis, pietate, eruditione & virtute

præclari, Dn. IOHANNIS GEORGII,

Georgij Iuriconsulti clariss. F. de Strassen,

in Mantichenau, matrimoniū contrahentis

cum lectissima virgine BARBARA, nobilis

& magnifici viri, dignitate, sapientia & vir-

tute excellentis, Dn. ALBERTI THV-

MII, in VVilmersdorff, I. V. Doctoris,

Sacri Lateranensis Palatii, aulæq; Cæsareæ,

& Imperialis consistorij Comitiss filia, rara

puclitiae & morum integritate insi-

gniter conspicua, scri-

ptus à

DANIELE SAXONE TORGEN-

si, scholæ senatoriæ Francofordianæ subrectore.

Anno M. D. LXXXIIII.

Francfordiæ typis Andreae Eichorn.

c70.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



## Chorus Musarum,



Empus erat, latè cantantibus excita  
gallis  
Leucothoe, croceis cum fugat astra  
genis:

Nigra rubescebant splendenti nubila cælo,  
Fulgebat roseo purus ab axe dies:  
Æolidas vastis fratres incluserat antris  
Hippotades, pelagi prælia sæua vetans.  
Suadebat bona tempestas, sine nubibus aër  
Suadebat mæstos deseruisse lares.  
Ergo, suburbani, turritæ mœnibus vrbis  
Egrediens, horti culta vireta peto.  
Quà prius errabat diuina MVSCVLVS aura  
Plenus, ad Edenios quàm penetraret agros.  
Hic nunc fatidici, PRÆTORIVS, æmulus oris  
Tristia sæpe graui corda dolore leuat.  
Nanq; ruinoso clades dum nunciat orbi,  
Tristia multa subit, præmia sueta capit.  
Non est fertilior, non est incundior hortus,  
Quà sonat vluosis Odera raucus aquis.  
Vndiq; montano salientes viscere riui,  
Arida largifluo gramina fonte rigant.  
Hinc varios formosa ferunt viridaria flores,  
Narcissum, casiam, lilia cana, rosas.

A 2

Plurima

Plurima sublimes arbor consurgit in auras,  
Prouentu dominum quæ beat vsq; suum.  
Multa quid? vberior non est, nec amœnior hortus,  
Voluit vbi liquidas Odera flauus aquas.  
Hic ego dum volucrum, viridi proiectus in herba,  
Admiror dulces, dulcia rostra, modos.  
Mox penetrat patulas Symphonia dulcis ad aures,  
Threicium rebar plectra mouere virum,  
Percipiens concinna decem discrimina vocum,  
Respicio, veniat Musicus vnde chorus.  
Ecce sacer Cytharædus adest Thymbræus Apollo,  
Aonias ducens ex Helicone Deas.  
Lustrabant tremulis totos splendoribus hortos  
Numina, vix oculis aspicienda meis.  
Hesperus, haud tantum, rutilo cum surgit ab ortu  
Emicat, ardenti clara nec astra polo.  
Anteibat tardo ducens vestigia passu,  
Splendidus Aonijs ductor, Apollo, gregis.  
Velabat viridis radiantia tempora laurus,  
Velabat niueos candida palla pedes.  
Antè gerens chypeum, pictam post terga pharetram,  
Pulsabat dulcis dulcia fila lyræ.  
Ponè sed incedunt ter tres ex ordine nymphæ,  
Vestibus & longis firmata longa trahunt.  
Insignis niueos cultus referebat olores,  
Pulchrior auricoma Cypride vultus erat.

Ac di-

Ac diuersa quidem manibus licet organa portent,  
Iucundos miscent organa multa sonos.  
Hac Symphoniacus specie per gramina cœtus  
Ingrediens, gressu me propiore petit.  
Horresco; tremebunda niger præcordia tangit,  
Aspexisse vetans ora corusca, pauor:  
Tum sic exanguem roseo pulcherrimus ore  
Affatur, Clarij præses Apollo chori.  
Quid trepidas iuuenis, quo non flagrantior alter  
Nunc Aganippæ pocula libat aquæ?  
Percipe iam causas, his cur spaciemur in hortis,  
Percipe virgineus quid velit ille chorus,  
Quid trepidas? Siculis non das Sirenibus aurem,  
Non hæc insidias carmina blanda struent.  
**STRASSIVS** insigni proauorum stemmate cla-  
Succubuit iaculis, sœue Cupido, tuis. (rus  
Cumq; nigros succos, variasq; Melampodis herbas  
Tentasset, præsens nec medicina foret:  
Nobile feruenti tandem medicamen amori  
Repperit, exusto vulnera corde leuans.  
Liquimus ergo sacri frondosa cacumina Pindi,  
Visentes culti Marchica rura soli:  
Vt iucunda nouis pangamus carmina sponsis,  
Cum iunget socius corpora bina torus.  
Sic ait: & chordis socians concordibus ora,  
Talia diuino gutture verba dabat:

A 3 APOL.

## APOLLO.

Ardua conscendens nuper fastigia Pimplæ,  
Despexi varios populos, vrbesq; iacentes,  
Nunquis adhuc Phæbum curet, doctasq; sorores.  
Heu sed vbiq; sacræ, per maxima climata mundi  
Spernuntur Musæ, ridentur carmina vatum.  
Vulgus amat scurras, parasiti munera regum  
Accipiunt, mendica stipem sed carmina cogunt,  
Magna dabant olim, paucis pro versibus, auri  
Pondera, post mortem victuri carmine reges:  
At nunc Mæoniden Graio, Latioq; Maronem  
Ore quis vt superet, nullo donabitur ære.

At generose Comes, Thumia celeberrima gentis  
Gloria, te vidi multis in millibus vnum,  
Quem sacra castorum delectant carmina vatum:  
Solus amas Phæbum, redamat te Phæbus amante,  
Castalides redamant Musæ, redamantq; poëtæ:  
Nam Musis largiris opes, & grata poëtis  
Munera, si qua tuas cecinerunt carmina laudes:  
Vtq; soporifero strepitantes murmure riui  
Humectant rapidis exusta caloribus arua:  
Sic tua mananti deriuas commoda fonte  
In nostros, si quem sors versat iniqua, poëtas,  
Vt, quæ sæpe tuas, miseris exercita fatis,  
Munificas experta manus, experta benignum

In



In Musas animum, studiosa corona fatetur.  
His pro muneribus tibi præmia grata rependunt,  
Nominis æternas, parientia carmina, laudes.  
Carmine nanq̄ tuis vates insignibus ausis,  
Immortale dabunt nomen, famamq̄ perennem.  
O salve præclare Comes, firmissima salve  
Ancora, iactatûm truculenta per æquora vatum:  
Festaḡ dum celebras iam connubialia natæ,  
Accipe, quæ Viadri glaucas modulamur ad vndas,  
Carmina, felices natæ gratantia tædas.

### CALLIOPE.

Nobilis antiquo maiorum stemmate STRASSI,  
Nobilior studijs, moribus, arte, fide:  
Sol veluti totum radijs flagrantibus orbem  
Lustrat, vt Eois extulit ora fretis.  
Sic & fama patris cunctas volitavit in oras,  
Dulcia Romuleis soluit vt ora fauis.  
Sæpe, Duces grandis motura tonitrua lingua  
Miratus, rapidis restitit Ister aquis  
Nec maior pietate fuit, nec iustior alter,  
Consilijs habuit, nec gravitate parem.  
Gaude, flos iuuenum, tali te sanguine natum,  
Gaude te tali ducere stirpe genis.  
Est aliquid claris duxisse parentibus ortum,  
Est aliquid proavos enumerare graves.

Non

Non aliena cano, referens iam nomine, clarum  
Mox referes titulis eloquioq; patrem.  
(Magnanimus nec enim timidū leo procreat agnū,  
Squilla nec Idalijs nascitur vlla rosis)  
Ergo tot exæques, ventis felicibus, annos,  
Vitam cum parili turture turtur agens:  
Quot pennis volucres stridentibus aëra stringunt,  
Quot pinnis pisces per vada salsa natant.

#### POLYMNIA.

STRASSIVS, o' felix, lecto cui iungitur vno,  
STRASSIVS ingenio maximus, ore grauis,  
Ingenium Pallas, præclaras Delius artes,  
Eloquium Pytho, carmina Musa dedit;  
Addidit & sancti sinuosa volumina iuris,  
Exornans legum cognitione, Themis.  
Sesbitat in vultu grauitas condita lepore,  
Dum tractat lepidis seria mista iocis,  
BARBARA plus oculis tantum colat vsq; maritū,  
Marchiacas inter lucida stella nurus.  
Sic sanctas inter numerabitur Heroinas,  
Sic referet matrem, sic probitate patrem.

#### THALIA.

Maxima progreditur formosæ cura Diones,  
Barbara virginæi flosq; decusq; chori.

Aspice

*Aspice maeste bonis virtutibus, aspice, STRASSI,  
Diuitiasq; tuas, deliciasq; tuas.  
Aspice purpurei radiantia lumina vultus,  
Ut rubeat pulchras, ceu rosa verna, genas.  
Arte laboratas vestes induta coruscat,  
Aureolus Veneris ceu micat axe globus.  
Pendentes ardent auro per colla capilli,  
Murice tineta rubro bella labella nitent.  
Virgineum specie cætum dominatur in omnem,  
Non vidit rutilo Phæbus ab axe parem.  
Religiosa, grauis, pia, blanda, venustula, casta,  
Clara redemptoris cognitione Dei.  
Felix, cui tali venientem dote maritam,  
Legitimo iungunt numina sancta toro.  
STRASSIUS, hanc oculis plus diligat vsq; maritam,  
Eximios inter lucida stella viros.  
Sic semper quo fata trahent, retrahentq; sequetur,  
Dulcia cuncta ferens, tristia cuncta ferens.*

### MELPOMENE.

*Quid donabo nouis felice sub omine tædis?  
Cum dare non possim munera, vota feram.  
Euentura precor, tanguntur numina votis,  
Numina pro viuis vota valere sinunt.  
Nunc sponsus ducat felici sidere sponsam,  
Nubat felici sidere sponsa viro.*

B

Vna

Vna sit ambobus mens: ossibus incoquat vsq̄  
Mutua flamma virum, mutua flamma nurum.  
Sint sine tristitia mentes, sine corpora morbis,  
Sit sine lite domus, sit sine labe torus.

CLIO.

Vt, cum purpureo Titan petit aethera curru,  
Pellit ab obducto nubila nigra polo:  
Sic noua nupta tuo curarum pectore nubes,  
Pellet purpureis, splendide Sponse, genis.  
Mille tibi risus ciet, oblectamina mille,  
Mille voluptates, gaudia mille feret.  
Dulcibus augebit quando pomaria plantis,  
Vinida quæ Christi sanguinis vnda rigat.  
Vinciat interea sacer arcto pectora nexu  
Spiritus, & vestras ventilet igne faces.

EUTERPE.

Huc age, totq̄ nouis, Amor, insere tela maritis,  
Quot liquet Hybla fauis, quot nitet Enna rosis.  
Fervidus amborum tostis fluat ossibus ardor,  
Sole velut tepido nix liquefacta fluit.  
Oribus ora ferant, tot & oscula mutua figant,  
Quotq̄ dedit vati Lesbia, quotq̄ tulit.  
Sic iucunda ferax producet pignora lectus,  
Straßiolam matri, Straßiolumq̄ patri.  
Dotibus illa bonis, hic & præstantibus ausis,  
Par genitricis erit, par genitoris erit.

VRA.

## VRANIE.

Splendida virginei delectat gratia vultus,  
Pacturos thalami foedera sacra, procos.  
Non ego laudo nurum, longa quæ cyclade terram  
Verrit, inaurato conspicienda sinu.  
Sit numata licet, sit auito stemmate clara,  
Mollibus in digitis plurima gemma micet:  
Æmula sint Oculo radiantia lumina mundi,  
Æmula labra rosis, æmula colla niui.  
Est leue, forma, bonum, celeriq; fugacius Euro,  
Quam citò bulla perit, tam citò forma cadit:  
Cum mors nigra ruit, sunt æmula lumina talpis,  
Pallida labra niui, squalida colla luto.  
Hanc ego laudo nurum, mentis quæ dotibus aucta,  
Sit pietatis amans, sit probitatis amans,  
Quæ sit purpureo vultum suffusa pudore,  
Quæ nulli cupiat, quàm placuisse Deo:  
Talis at est, niuei flos exemplumq; pudoris,  
Thumia, tam celebri nubere digna viro:  
Non est nobilior, non est insignior vlla,  
Dote pudicitia, religione, fide.  
Perge placere Deo, vegeta dum vesceris aurâ,  
Æternum poteris sic placuisse Deo.

## ERATO.

Florida præclaro iungetur nupta marito,  
Insignis patriæ nobilitate domus,

B 2

Huc

*Huc Hymenæe veni, dum sacra iugalia feruent,  
Affer legitimi flammea signa tori.  
Flammea rubra notant rosei seruata pudoris  
Munera, sed flammis pectora tosta, faces.  
Nulla dies etenim flammæ extinguet amantum,  
Vlla nec eripiet pectora casta dies.*

TERPSICHORE.

*Strasius ecce iacet, iaculo traiectus Amoris,  
Detrectata diu iam iuga sponte subit.  
Nunc formosa tuis opus est Amathuntia flammis,  
His sine nam tristi frigore corda rigent.  
Torquatas igitur iam curribus adde columbas,  
Hucq, per æthereas vecta, venito, plagas.  
Sparge rosas thalamo, fulgentia sparge marathra,  
Balsameo dulcis fragret odore torus.  
Nexilibus sponsam sponso constringe catenis,  
Intima perueniat donec ad ossa calor.  
Vt fœcunda ferat mellitos Thumia natos,  
Qui tristem possint exhilarare patrem.  
Sic te Sicaniæ fertis halantibus vrbes,  
Sic Amathus, Cyprus, sic colat vsq, Paphos.  
Hæc cum Laurigero ter tres ductore Camœnæ  
Cantantes blandis carmina grata sonis,  
Viuite felices, dixerunt, viuite sponsi,  
Illa Sybillinos, Nestoris ille dies.*

FINIS.

Jf 4600

ULB Halle 3  
003 299 04X



sb.

1077









LXV.

64.

**H O R V S**  
**Mufarum,**  
**H O N O R E M**  
**L I S E T O R N A T I S .**  
 is, pietate, eruditione & virtute  
 Dn. IOHANNIS GEORGII,  
 rificonsulti clariss. F. de Strassen,  
 enau, matrimoniū contrahentis  
 ima virgine BARBARA, nobilis  
 ci viri, dignitate, sapientia & vir-  
 tentis, Dn. ALBERTI THV-  
 Vilmersdorff, I. V. Doctoris,  
 ranensis Palatij, aulæq; Cæsareæ,  
 lis consistorij Comitiss filia, rara  
 iæ & morum integritate insi-  
 gniter conspicua, scri-  
 ptus à  
 LE SAXONE TORGEN-  
 ratoris & Francofordiana subrectore.  
 o M. D. LXXXIII.  
 rdia typis Andreae Eichorn.



cyo.

